

20TH LATIN SUMMER SCHOOL

JANUARY 20-24, 2014

Education Building, University of Sydney

LEVEL 2B

Instructors:

**MICHAEL HANAGHAN
ALEXANDER WESTENBERG**



Monday

In the biography of his father-in-law Agricola, who was the governor of Briton. Tacitus includes this speech by Calgacus, the leader of the Britons who fought against Agricola at the battle of Mons Graupius (circa 83 BCE) in modern Scotland. It is one of the most powerful indictments of Empire in Western literature.

"Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore: ... et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt.

Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec ulla servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus.

Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet ... sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus ac saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugas. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, mare scrutantur: si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. Auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.

quotiens = whenever	recessus, us (m) = isolation
intueor = gaze upon (deponent verb)	raptores = referring to the Romans
animus, i = here, confidence.	defuere = defuerunt
fore = future infinitive of sum	scrutor (dep) = ransack
Inminente ... Romana = abl abs	locuples, es, es – opulent
fortibus = used substantively	pari adfectu = with equal affection

Certatum est – impersonal	Aufferre ... rapere = substantives
nobilissimi = subject of habebamus	

Priam the king of Troy has just watched Pyrrhus kill his son, splattering his face with gore. He lambasts Pyrrhus for his conduct This is Pyrrhus response.

Aeneid, II 547-558

cui* Pyrrhus: 'referes ergo haec et nuntius ibis
 Pelidae genitori. illi mea tristia facta
 degeneremque Neoptolemum narrare memento.
 nunc morere.' hoc dicens altaria ad ipsa
 trementem 550
 traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
 implicuitque comam laeva, dextraque coruscum
 extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
 haec finis Priami fatorum, hic exitus illum
 sorte tulit Troiam incensam et prolapsa videntem 555
 Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
 regnatorem Asiae. iacet ingens litore truncus,
 avulsumque umeris caput et sine nomine corpus.

*Priam

Referes = future of refero	Ad governs ipsa altaria
Ibis – 2 nd person future simple or eo	Trementem and lapsantem refer to Priam
Pelidae – patronymic – son of Peleus	Capulo tenus – up ot the hilt
Neoptolemum – i.e Pyrrhus	Pergama – acc, i.e Troy
Memento – imperative of memor	Superbum regnatorem – refers to Priam
Morere – imperative or morior	Avulsum qualifying caput

Tuesday

Caesar describes the rivalry between two centurions. Bello Gallico, 5.44

Erant in ea legione fortissimi viri, centuriones, qui primis ordinibus appropinquarent, Titus Pullo et Lucius Vorenus. Hi perpetuas inter se controversias habebant, quinam anteferretur, omnibusque annis de locis summis simultatibus contendebant. Ex his Pullo, cum acerrime ad munitiones pugnaretur, "Quid dubitas," inquit, "Vorene? aut quem locum tuae probandae virtutis exspectas? hic dies de nostris controversiis iudicabit." Haec cum dixisset, procedit extra munitiones quaque pars hostium confertissima est visa irrumpit. Ne Vorenus quidem tum sese vallo continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur. Mediocri spatio relicto Pullo pilum in hostes immittit atque unum ex multitudine procurrentem traicit; quo percusso et exanimato hunc scutis protegunt, in hostem tela universi coniciunt neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pulloni et verutum in balteo defigitur. Avertit hic casus vaginam et gladium educere conanti dextram moratur manum, impeditumque hostes circumstant. Succurrit inimicus illi Vorenus et laboranti subvenit. Ad hunc se confestim a Pullone omnis multitudo convertit: illum veruto arbitrantur occisum. Gladio cominus rem gerit Vorenus atque uno interfecto reliquos paulum propellit; dum cupidius instat, in locum deiectus inferiorem concidit. Huic rursus circumvento fert subsidium Pullo, atque ambo incolumes compluribus interfectis summa cum laude sese intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione et certamine utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset, neque diiudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur.

appropinquo + dative - approach	casus – the disaster, namely ‘transfigitur ... defigitur.’
ad = near	conanti – dative present participle, substantivally, of possessor
locum – here, opportunity	educere – prolativum infinitive after conanti (conor 1).
cum dixisset = temporal clause equivalent of ubi dixerat	impeditum (eum)
qua ... visa = object of irrumpit	laboranti (Pulloni)
veritus – masc, perf act participle of vereor – fear	Occisum (esse) – accusative and infinitive “that ...”
unum (hostem)	Locum inferiorem – a low ditch
mediocri ... relicto – ablative abs	Ambo – both (i.e Pullo and Vorenus)
regrediendi facultatem – capacity for retreat	Diiudicari- present passive infinitive, to distinguish
verutum, i (n) = javelin	Anteferendus – masc, nom, gerundive “ought to be preferred”

balteus, I (m) - belt	
-----------------------	--

Wednesday

Gaius Valerius Catullus, *Carmina*, 5, 6, 34.

Although the Roman poet Catullus (?84 BC - ?54 BC) is perhaps best known for his love poems, he wrote on a variety of subjects, including both the sacred and the profane:

V. ad Lesbiam

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum seueriorum
omnes unius aestimemus assis!
soles occidere et redire possunt:
nobis cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.
da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
dein, cum milia multa fecerimus,
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut ne quis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.

vivamus: let us live

amemus: let us love

as assis, m: a low unit of currency, a coin,
farthing

dormienda: must be slept through (agrees

with nox)

basium -i, n: a kiss

conturbo: to confuse

possit: (no-one) may be able to

VI. ad Flauium

Flavi, delicias tuas Catullo,
ni sint illepidae atque inelegantes,
uelles dicere nec tacere posses.
uerum nescio quid febriculosi
scorti diligis: hoc pudet fateri.
nam te non uiduas iacere noctes
nequiquam tacitum cubile clamat

sertis ac Syrio fragrans oliuo,
puluinusque peraeque et hic et ille
attritus, tremulique quassa lecti
argutatio inambulatioque.
nam inista preualet nihil tacere.
cur? non tam latera ecfututa pandas,
ni tu quid facias ineptiarum.
quare, quidquid habes boni malique,
dic nobis. uolo te ac tuos amores
ad caelum lepido uocare uersu.

deliciae -arum, f pl: delights, charms. Also, a
term of endearment
ni sint: if she weren't
illepidae: ill-mannered
uelles: you would want
posses: you would not be able to
febriculosus -a -um: feverish
scortum -i, n: whore
fateri: to confess
viduus -a -um: destitute, deprived
pulvinus -i, m: a pillow, cushion

peraeque: alike, equally
attritus: worn away
argutatio -onis, f: a rustling
quassa: shaken
inambulatio -onis, f: a walking up and down
stuprum -i, n: ravishing, defilement
ecfututa: squandered in debauchery
pandas: you would not display
ni tu quid facias: unless you were doing
something
lepidus -a -um: elegant, charming

XXXIV. carmen Dianae

Dianae sumus in fide
puellae et pueri integri:
Dianam pueri integri
puellaeque canamus.
o Latonia, maximi
magna progenies louis,
quam mater prope Deliam
deposiuit oliuam,
montium domina ut fores
siluarumque uirentium
saltuumque reconditorum
amniuumque sonantum:
tu Lucina dolentibus
luno dicta puerperis,
tu potens Triuia et notho es

dicta lumine Luna.
tu cursu, dea, menstruo
metiens iter annuum,
rustica agricolae bonis
tecta frugibus explēs.
sis quocumque tibi placet
sancta nomine, Romulique,
antique ut solita es, bona
sospites ope gentem.

prope (+ acc): near to
ut fores: so that you may be
reconditorum: hidden (agrees with saltuum)
amnis -is, m: stream
tu Lucina...Iuno dicta: you are called Juno
Lucina
puerpera -ae, f: a woman in labour
nothus a um: not genuine (of men:
illegitimate)

cursus -us, m: course, march
menstruus a um: monthly
metior: measure, traverse
expleo: fill up
agricola -ae, m: a farmer
sis...sancta: may you be...hallowed
ut solita es: as you are accustomed
sospites: may you keep safe

Thursday

Publius Ovidius Naso, *Ars Amatoria*, 1.35-62

The *Ars Amatoria* is a manual on love and seduction written by Ovid (43 BC -AD ?17) during the reign of Augustus. It is full of humorous and often irreverent allusions to the conventions of Latin elegiac poetry:

The poet, as the *praeceptor amoris* (the teacher of love), sets out the three goals for the male reader of his manual:

Principio, quod amare velis, reperire labora,
Qui nova nunc primum miles in arma venis.
Proximus huic labor est placitam exorare puellam:
Tertius, ut longo tempore duret amor.
Hic modus, haec nostro signabitur area curru:
Haec erit admissa meta terenda rota.

reperio: discover

exoro: to induce, persuade

ut...duret amor: so that love may last

signabitur: it will be marked

area -ae, f: field, scope

currus -us: a chariot

meta -ae, f: boundary

terenda: to be grazed

Rome is the perfect place to find the woman you seek, no matter what your tastes may be:

Dum licet, et loris passim potes ire solutis,
Elige cui dicas 'tu mihi sola places.'
Haec tibi non tenues veniet delapsa per auras:
Quaerenda est oculis apta puella tuis.
Scit bene venator, cervis ubi retia tendat,
Scit bene, qua frendens valle moretur aper;
Aucupibus noti frutices; qui sustinet hamos,
Novit quae multo pisce natentur aquae:
Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,
Ante frequens quo sit disce puella loco.
Non ego quaerentem vento dare vela iubebo,
Nec tibi, ut invenias, longa terenda via est.

Andromedan Perseus nigris portarit ab Indis,
Raptaque sit Phrygio Graia puella viro,
Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas,
'Haec habet' ut dicas 'quicquid in orbe fuit.'
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
Aequore quot pisces, fronde teguntur aves,
Quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas:
Mater in Aeneae constitit urbe sui.
Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis,
Ante oculos veniet vera puella tuos:
Sive cupis iuvenem, iuvenes tibi mille placebunt.
Cogeris voti nescius esse tui:
Seu te forte iuvat sera et sapientior aetas,
Hoc quoque, crede mihi, plenius agmen erit.

lorum -i, n: leather strap, bridle
quaerenda: she must be sought
delapsa: having fallen through
venator -oris, m: hunter
ubi tendat: when he spreads out
frendo: to gnash the teeth
auceps -cupis, m: a bird-catcher
natentur: are filled with
ut invenias: so that you may find
terenda: to be worn away

raptaque sit: she may have been carried off
ut dicas: so that you may say
seges -etis, f: a field of crops
racemus -i, m: a cluster (of grapes)
caperis: you are captured
cogeris voti nescius esse tui: you will be
confounded, not knowing which one to
wish
for
forte: by chance

Friday

Publius Ovidius Naso, *Ars Amatoria*, 3.101-28

In Book 3 of the *Ars Amatoria*, the poet gives advice to women, and rejoices to be living in the 'golden age' of Rome:

Ordior a cultu; cultis bene Liber ab uvis
Provenit, et culto stat seges alta solo.
Forma dei munus: forma quota quaeque superbit?
Pars vestrum tali munere magna caret.
Cura dabit faciem; facies neglecta peribit,
Idaliae similis sit licet illa deae.
Corpora si veteres non sic coluere puellae,
Nec veteres cultos sic habuere viros;
Si fuit Andromache tunicas induta valentes,
Quid mirum? duri militis uxor erat.
Scilicet Aiaci coniunx ornata venires,
Cui tegumen septem terga fuere boum?
Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma est,
Et domiti magnas possidet orbis opes.
Aspice quae nunc sunt Capitolia, quaeque fuerunt:
Alterius dices illa fuisse Iovis.
Curia, concilio quae nunc dignissima tanto,
De stipula Tatio regna tenente fuit.
Quae nunc sub Phoebus ducibusque Palatia fulgent,
Quid nisi araturis pascua bubus erant?
Prisca iuvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor: haec aetas moribus apta meis.
Non quia nunc terrae lentum subducitur aurum,
Lectaue diverso litore concha venit:
Nec quia decrescunt effosso marmore montes,
Nec quia caeruleae mole fugantur aquae:
Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
Rusticitas, priscis illa superstes avis.

ordior: I begin

uva -ae, f: a bunch of grapes

liceo: to be on sale, to be valued at

induta: dressed in

valeo: to be strong, stout

tegumen -inis, n: a covering

Curia: the senate house

stipula -ae, f: a reed, stalk

fulgeo: to shine, gleam
lecta(que): gathered up
decreasco: diminish
effosso: dug out

fugantur: (they) are put to flight
caeruleus: dark blue
avus -i, m: grandfather, ancestor

Symbolum Nicaenum (the Nicene Creed), is an ecumenical profession of Christian faith. It is named after the First Council of Nicaea in AD 325, where it was first adopted. This version is the result of the council of Constantinople in AD 381, and is the most widely used version in Christian liturgies.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.

Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis.

Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas.

Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.

Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi.

Amen.

unigenitum: only-begotten

factum: made

passus et sepultus est: he suffered (death) and was buried

adoratur: is adored

locutus est: spoke/has spoken

catholicus -a -um: general, universal

confiteor: confess, acknowledge

peccatum -i (substantive from pecco): an error, fault, sin